

« toglierle il retto giudizio dei suoi atti in genere ». In eamdem autem sententiam concorditer devenerunt reliqui medici et periti, qui vel mulierem inspexerunt (Bartolus Finozzi), vel acta processus examinarunt (Lucianus Pozzini et Alexander Cavazzeni); ita ut omnes absque ambagibus affirmaverint in celebratione matrimonii Catharinam mentis perturbatione et infirmitate laborasse, quae ad consensum matrimonialem praestandum eam inhabilem reddebat. Quare ei deerat illa plena deliberatio, quae requiritur ad illum contractum ineundum, qui indissolubilis est, et cuius obligatio ad mortem usque perseverat, et cuius sequelae tanti sunt ponderis ad felicitatem vitae, proliis educationem et salutem aeternam.

10. — Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus: *Constatre de matrimonii nullitate, in casu, respondentes ad propositionum dubium affirmative.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 23 iunii 1928.

Henricus Quattrocolo, *Ponens.*

Franciscus Morano.

Arcturus Wynen.

Sententia facta est exsecutiva.

R. P. D. IOSEPHO FLORCZAK

SEPARATIONIS

SUMMARIUM

1. Facti species. — 2. Iuris principia de separatione coniugum a mensa et thoro. — 3. Odium capitale uxoris in maritum, ab actore ad obtainendam separationem invocatum, a testibus non est probatum. — 4. Neque variae accusationes, a viro in mulierem congestae, iuridice sunt probatae. — 5. Neque ex verbis probrosis, a muliere contra virum prolatis, odium capitale erui potest. — 6. Immo constat mulierem paratam esse ad vitam communem iterum pacifice instaurandam, — 7. et odium, etiamsi exstitisset, esse remissum et ab actore condonatum. — 8. Fertur sententia non esse locum separationi coniugum.

DECISIO XXIX

1. — Franciscus, coquendis lateribus industriae deditus, mense octobri a. 1897 in ecclesia parochiali loci N. dioecesis X., matrimonium cum Catharina init. Post 27 annos a contracto matri-

monio, die 2 februarii a. 1924, Franciscus, 69 annum agens, ut separationem canonicam obtineret, litem movit contra uxorem suam, a. 66 natam. Tribunal primae instantiae X., die 7 maii a. 1924, decretivit separationem esse instituendam ad tempus indeterminatum a mensa et thoro ob culpam coniugis utriusque. Ad tribunal metropolitanum Y. statim uterque coniux provocavit, infausto tamen omne, quia iudices secundae instantiae die 3 februarii a. 1925 separationem negaverunt et vir ad omnes litis expensas solvendas damnatus erat. Contra hanc sententiam Franciscus tantum ad N. S. T. appellationem interposuit, dum mulier, a separatione prorsus aliena, N. S. O. iustitiae se remisit. Hodie igitur causa Nobis definienda proponitur sub concordata formula dubii: *An et quomodo sit locus separationi quoad thorum et cohabitationem, in casu.*

2. – **In iure.** – Quamvis adulterium unica sit causa separationis de iure perpetuae, tamen aliae subsunt causae semipleni divortii, et definitum est in *Conc. Trid.*, sess. XXV, cap. 8: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum, ob multas causas, separationem inter coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumque tempus fieri posse decernit: anathema sit ». Causae separationis temporaneae a Codice in hunc modum recensentur: « Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosa aut ignominiosa ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus ... » (can. 1131, § 1). Non omnes, sed praecipuae tantum a Codice enumerantur causae, adeo ut aliae quoque causae aequi ponderis dari possint, quod manifeste indicat ipse Codex, taxativam enumerationem excludens per verba: « Haec aliaque id genus sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi » (cit. can.). Affirmari tamen potest, omnium istarum causarum, ex quibus ius ad divortium obtainendum ori potest, unum esse debere effectum, gravis nempe damni sive animae sive corporis periculum. Non sufficit timor cuiuscumque periculi, necessarium est ut malum quod timetur sit grave ac tale quale ad metum viri constantis requiritur. Ex his sequitur, non satis esse minas, nisi qui minatur solitus sit eas exsequi, praeoculis praesertim habito sive minitantis sive metuentis sexu, indeole, ingenio, necnon minandi modo (cfr. Sanchez, *De matrim.*, Cap. lib. X, disp. 18, n. 2-13; Wernz-Vidal, *Ius matr.*, n. 644-646; Cap.

pello, *De matr.*, n. 828-830). Quod si de odio agatur, requiritur odium capitale ac *implacabile* (cfr. verba Alexandri Pp. III in cap. 8, *De restitut. spoliat.*; Coscius, *De separ. tori*, lib. 2, cap. 11, n. 1 sqq.): et leves iniuriae, verba probrosa aut ipsa characterum inter sponsos incompatibilitas, quae molestam cohabitationem faciant, non possunt haberit uti causae sufficientes ad eosdem dissociandos (cfr. Pallottini, *Coll.*, tom. XIII, v. *Matrimonium*, § 23, n. 119 ad notam; S. R. Rota, *Separationis*, coram Lega, die 5 iulii 1910¹).

3. – **In facto.** – Actor asserit se ius habere ad canonicam separationem obtainendam, ob odium *capitale*, quod uxor in ipsum gerit. « Un solo — ait — ma sufficiente fatto che tutto questo « lungo tempo esistette, è l'irresistibile odio di mia moglie verso « di me ... e quindi questo odio solo per sè è ragione sufficiente, « che mi si conceda la separazione per sola colpa di mia moglie ». Iam vero testes inducti non probant odium istud capitale mulieris erga virum, immo testes hi aperte ponunt, rixarum causam non uxoris odium esse, sed vel huius pecuniae cupiditatem vel alias causas. « Causa della rissa — deponit Aloisius V. — era « l'ansietà dell'accusata pel denaro e per un possesso sempre « maggiore ». Et Francisca V.: « Credo che la causa della scissione fra i coniugi sia questa, che l'accusata è avara e che « non voleva tenere servitù, voleva essa stessa mantenere il maneggio della casa ». Et implicite id confirmat etiam Sigismundus S.

4. – **Accusationes variae a viro in mulierem congestae, ad demonstrandum odium capitale, minime sunt iuridice probatae.** Franciscus loquitur de minis beneficii: « Davanti a questi medesimi testimoni (i coniugi V. ed i coniugi S.) mia moglie dichiarò, « che vorrebbe avvelenarmi se sapesse che il suo delitto non verrà « a scoprirsì, il che confermeranno questi testimoni ». At Sigismundus S. eiusque uxor nihil de hisce comminationibus depo- nunt; Francisca V. refert: « Circa l'avvelenamento non so nulla »; Aloisius V. respondit: « È vero che ha detto che avvelenerebbe « suo marito », sed statim addit: « Ma questo io non ho compreso « seriamente, poichè l'uomo nell'ira dice di tutto ». Similiter haud probati sunt tanti defectus uxoris in cura rei familiaris a viro in supplici libello, diei 2 februarii 1924, relati, quia denegan-

¹ S. R. R. *Decis.*, vol. II, p. 242 ss.

tur ab uxore, quae denegationis rationes minime ineptas afferit, et quia testes inter se discrepant diversitate adversativa atque nonnulli videntur moti passione aut timore. Alia autem argumenta a Francisco contra Catharinam adducta — ut venditio rei domesticae et olitoriae, subreptio pecuniae et exemplaris instrumenti matrimonialis — non probant odium capitale, tum quia sunt levioris momenti, tum quia rationabiliter explanata videntur a muliere in sensu prorsus alieno ab interpretatione viri.

5. — Verum est uxorem verba probrosa contra virum plures et in diversis locis protulisse: id enim ipsa uxor confessa est et testes concorditer deponunt. «È vero — narrat Aloisius V. — che «lo sparlava con tutte le possibili parolaccie». Et Anna S.: «Sparlava assai del marito ... quanto più io la chetavo tanto peggiori parolaccie proferiva». Similiter testantur Franciscus F. et Francisca V. Nihilominus, si perpenduntur circumstantiae, haec ratio loquendi contra maritum, quamvis reprobanda sit, non demonstrat odium capitale, sed significat iram seu exacerbationem animi, quia revera Catharina ex parte viri gravia patiebatur. «Se qualche volta — ait Catharina — io davanti a testi senza veramente condannavo il comportamento di mio marito verso di me in occasione di qualche dibattito, questo non era effusione di odio verso di lui, ma bensì espressione di mia esacerbazione ed eccitazione per l'ingiuria recatami». Et prosequitur: «Un vero e continuo incurabile odio fra coniugi non si manifesta soltanto con parole, ma molto più negli atti di cattiveria e malignità. E questo non c'era fra noi. L'accusatore non ha addotto neppure un atto in base del quale si potrebbe perentoriamente affermare che l'abbia continuamente odiato».

6. — Non constat ergo Catharinam virum suum odio capitali prosequi vel prosecuturam fore, immo constat, et ipse vir id non negat, illam paratam se praebere ad vitam communem iterum pacifice instaurandam prosequendamque: «Io sono pronta — ita mulier — a far pace e di vivere avanti onestamente come si deve». Ex actis optime datum est arguere, Catharinam non eam esse quae natura terribilis existat, neque Franciscum eum esse qui uxor odium hypotheticum metuat et eiusdem in conspectu aliquantis per trepidet. Immo ipse afficere solebat uxorem respectu iniuriis modisque saevis aut inurbanis: de hoc deponunt testes de visu, Eva B., Martha R., Catharina T. et Aloisia B.

Sed praesertim vir graviter offendit uxorem ob relationes suspectas, quas cum famula Iulia fovebat; quod videtur nunc esse principia causa tum dissidiorum inter coniuges, tum rixarum inter uxorem et famulam, de quibus argumentum vir inutiliter existimat depromendum ad intentionem suam comprobandum. Denique nec praetereundum est, quod uxor de causa praesentis litis attulit: «L'accusatore vuole liberarsi di me non darmi l'alimentazione».

7. — Minime deinde ex tabulis processualibus resultat odium Catharinae erga Franciscum *implacabile* esse. Mulier, ut vidi mus, restitit separationi et petiit, ut vita pacifica restauraretur, et ad tribunal alterius instantiae in sua appellatione scribebat: «Siamo uomini, siamo deboli, e le cure e i disagi della vita spesso ci eccitano oltre misura, e perciò anche si viene a questi alterchi e dibattiti di famiglia. Ma io constato il fatto che per 26 anni di comunità coniugale tali alterchi e dibattiti non hanno resa impossibile la vita comune, perchè noi dopo ogni alterco di nuovo ci pacificammo, come lo fanno anche altri coniugi». Et Aloisius V. testatur: «Da una lunga serie di anni, oltre 40 anni, conosco la famiglia di Francesco. I coniugi litiganti conosco dalle loro nozze. Litigavano già 4 volte, ed io ogni volta li ho pacificati». Praeterea coniuges mense septembri a. 1923, id est septimo mense ante praesentis causae initium, relationem sexualem habuerunt. Ait enim uxor: «Se io era ributtante all'accusatore, come avviene che egli abbia pure 7 mesi fa avuto coito con me? Allora mi disse ancora di volere in avanti vivere bene con me». Et hoc factum ipse vir confessus est: «È vero anche — dicit — che ora 7 mesi fa ebbi il coito con mia moglie». Inde odium, etiamsi exstisset, haud *implacabile* dicendum est, atque remissum esse constat. Posita enim reconciliatione post discordias vel rixas, patet, easdem iam condonatas fuisse neque amplius deduci posse uti causas ad divortium temporaneum flagitandum. Si enim ubi agitur de iure separationis perpetuae obtinenda, hoc ius coniugi, qui adulterium alterius coniugis saltem tacite condonaverit, non amplius conceditur (can. 1129), eo magis separatio non datur in casu de quo supra. Et insuper, cum aperte statuatur in can. 1131, § 2, causa separationis temporaneae cessante, vitae consuetudinem esse restaurandam, liquet, eamdem a fortiori non esse dissociandam ob causam quae forte iam cessaverit.

8. — Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infra scripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus ad propositum dubium respondentes: *Negative, seu non esse locum separationi quoad thorum et cohabitationem, in casu.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 iunii 1928.

Iosephus Florczak, *Ponens.*
Ubaldus Mannucci.
Andreas Jullien.

Sententia facta est exsecutiva.

R.MO P. D. MAXIMO MASSIMI, DECANO

NULLITATIS MATRIMONII

SUMMARIUM

1. Facti species: resumitur decisio 16 decembris 1925. — 2. 3. 4. Iuris principia de metu reverentiali, matrimonium dirimente, eiusque probatione.
- 5. Constat quidem actricem sponsalia iniisse, ut morem gereret voluntati patris; — 6. sed post inita sponsalia actrix a nuptiis abhorruit;
- 7. neque contractis nuptiis actricis aversio erga virum evanuit, ideoque existit praesumptio pro coactione eaque gravi. — 8. Etsi pater erat indole pertinaci et violenta, — 9. et actrix incredibili patris terrore tenebatur, — 10. haec contractis iam sponsalibus ausa est coram patre protestari se nolle nubere viro sibi imposito; — 11. sed modesta contradicitione iuvit actricem, — 12. neque patri ulterius contradicere valuit. — 13. Objectionibus satisfit. — 14. Fertur sententia pro matrimonii nullitate.

DECISIO XXX

1. — Agnes, e familia religione catholica, natione belgica, vix excesserat undevicesimum aetatis annum, cum pater ei proposuit nuptias ineundas cum Alberto, germanico atque acatholico homine, prorsus ignoto puellae. Quae, ubi illum vidit, ab eo abhorruit, in primis ob aspectum eius non floridum. Attamen, patre proponente, atque cum patre omnibus propositas nuptias laudantibus, sponsalia quae nulla mora interposita ipsi ineunda offerabantur, contrahere non renuit. Contractis autem sponsalibus,

quod factum est kalendis maii a. 1900, Agnes, re melius perpensa, studuit nuptias cum Alberto ineundas vitare atque voluntatem hanc suam aperuit cum matri tum patri ipsi. Quo pro nuptiis nihilo secius instante, die 21 iunii eiusdem anni nupsit Alberto. Coniugalis vita neque pacifica fuit, neque prole recreata. Sed neque ad multos annos producta, quamvis ad plenam separationem ventum non sit nisi per magni belli occasionem. Tunc enim uxor Italianam petiit, neque ad virum in Germaniam contendere vel post compositum bellum voluit. Quare Albertus a. 1919 divortium civile in foro laico germanicae ditionis impetravit. Tum Agnes, vi Commissionis Pontificiae, in Rota matrimonium nullitatis accusavit ex capite vis et metus sibi a patre illati. Sed Rotalis sententia, die 16 decembris 1925 lata, statuit non constare de matrimonii nullitate, in casu. Actrice appellante, atque ampliore causae instructione peracta, hodie quaeritur: *An sententia Rotalis diei 16 decembris 1925 sit confirmanda, vel infirmando, in casu.*

2. — **In iure.** — Nullum est matrimonium, initum ob metum (cap. 14, 15, 28, X, *De spons. et matr.*, IV, 1), qui gravis sit, ab extrinseco et iniuste incussus ad extorquendum matrimoniale consensum, idque translaticum est (cfr. Cod. I. C. can. 1087). Patet ergo ipsum metum reverentiale posse invalidum reddere matrimonium. Nam evidenter huiusmodi metus potest esse ab extrinseco et iniuste incussus ad extorquendum matrimoniale consensum. Sed potest quoque esse gravis. Licet enim per se non habeatur pro gravi, talis tamen fieri potest ex adiunctis, quae idcirco diligentissime sunt attendenda.

3. — Tenuit communis doctrina et iurisprudentia non requiri verbera vel minas, ut metus reverentialis habeatur pro gravi, sed sufficere posse suasiones precesve importunas et instantissimas. A fortiori ergo tenendum est satis esse posse pertinacis patris imperium, cui filius se subtrahere non valeat, quamvis protestetur se nolle eas nuptias inire. Eatenus enim hoc in casu suasiones precesve aut desunt aut importunae non sunt neque instantes, quatenus filius tanto metu erga patrem trepidat, ut protestetur quidem, sed ulterius patri contradicere non audeat.

Bene ad rem Coscius: « Si filius matrimonium sibi oblatum vehementer abhorrens iterum iterumque protestetur se illi assentire nolle, pater vero, cum sit rigidae ac severae indolis, clare demonstret pertinaciter velle quod tale coniugium suum sortia-